



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Caput I. De Adventu Fratrum Domus Teutonicae in Terram Pruschiae. De
Vastatione Terrae Colmensis per Pruthenos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

II. concessum vide apud Melchiorem Goldastum ab Haiminsfelt. in *Reichshandlung* fol. 166. seq.

- (f) Annulus & insignia Magistro non sunt hic tradita, ritu quodam creandi Principes, de quali ritu intelligenda sunt illa Saxonis Grammatici, quando dicit; *Fridericus Barbarossa Boguslaum & Casimirum datis solenniter aqvilis Slavia* (i. e. Pomerania) *Duces appellavit.* lib. XV. *Hist. Dan.* fol. 371. *Edit. Hafn. Stephani Stephanii,* ut & illa quando Investitura Episcoporum dicitur fieri per annulum & Baculum. Sed annulus datus est Magistro, ut ipse & successores ejus annulo hunc uterentur, semperque in Electione novo Magistro annulus ille insignum Magisterii traderetur, ut patet ex Privilegio quodam Ordini, ab Honorio III. Pontifice anno 4. Pontificatus. 8. Cal. Januar. concessio. *Conf. & Consuetud. Ordinis à num. I. ad X.* Aquila quoque data est Ordini eo fine, ut illa in suis insignibus uteretur, quod etiam factum esse testantur Insignia Ordinis Teutonici.

INCIPIT SECUNDA PARS.

CAPIT I.

De

*Adventu Fratrum Domus Teutonicæ
in Terram Pruschia.*

De

*Vastatione Terræ Colmensis per
Pruthenos.*

Tempore quo Nobilis ille ac Illustris Christianissimus Princeps (a) Conradus Dux Principatum tenuit in Masovia, Cujavia & Polonia, fuit quidam Episcopus de Pruschia (b) Christianus nomine, Ordinis Cisterciensis qui divini verbi semen sapius sparsit inter Pruthenos, exhortans eos, ut relicta Idololatria Deum verum colerent Jesum Christum. Sed quia hoc se-

men

men cecidit in terram non bonam, fructum nullum fecit. Tantum enim erant obstinati in malitia sua, quod nulla monita salutis eos ab infidelitatis suæ errore poterant revocare. Unum fuit in eis factum laudabile & multipliciter commendandum, quod licet ipsi essent infideles & diversos Deos colerent, pacem cum Christianis Vicinis nilominus habuerunt, nec eos in cultura Dei vivi impediabant, nec aliquaviter molestabant. Sed hoc inimicus humani generis pacis æmulus non diu sustinens super seminavit Zizania. Excitavit enim persecutionem (c) durissimam inter eos, ut intra paucos Annos Christi fidelibus partim trucidatis, quibusdam captis & infervitatem perpetuam deductis paucis fugæ præsidio salvatis terram Colmensem penitus destruantes in solitudinem redegerent.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. I.

(a) In sequentibus Conradum Ducem Masoviæ semper nominat Ducem Poloniae. Causa sine dubio hæc est. Occisio in Comitibus Gansaviensibus à Syverlopelco Pomeraniæ Duce, Lesco Albò, Conradi hujus fratre circa An. 1226. Placuit Polonis Principatum Poloniae ad Lesco Albi filium Boleslaum, qui deinde dictus est Pudicus, deferre. Cum autem Principatui per se administrando nondum esset aptus, consultatum est inter Proceres Poloniae, cuiusnam tutela Boleslai esset committenda. Quidam favebant Conrado Masoviæ Duci Patruo Boleslai hujus; major verò pars Henrico Barbato Duci Wratislaviensium tutelam commisit. Hinc bellum inter Henricum & Conradum de tutela gestum, in quo bis Conradum profligavit Henricus. Sed cum incautius ageret, captus ipse est à Conrado. Hedvigis Conjux Henrici de captivitate mariti certior facta, in Masoviam contendit, cujus precibus emollitus Conradus Henricum è custodia dimisit, postquam ille interposito jurejurando principatus administratione sese abdicasset. Ex eo tempore Conradus Principatum Minoris Poloniae ad-

ministrare cepit. Sed postea circa An. 1234. vicissim eiectus est ab Henrico. Quoniam itaque Conradus in Minori Polonia per aliquod tempus pro tutore & Principe sese gessit, ideo, Ducem Poloniae ipsum nominat Dusburgius. Conferatur Martinus Cromerus *lib. VIII. de Ortu & Reb. Gest. Polon. princ.*

(b) Addit Jeroschinus Christianum hunc à Papa fuisse missum ad convertendos Prussos. Idem habet Author Chronici Germanici antiqui in 4. qui vixisse videtur sub Paulo Bellizero à Rusdorff Magistro Generali Prussiae. Idem ex Scriptoribus exteris innuit Autor Chronici montis sereni *ad An. 1215. pag. 109.* Edit. Joach. Johan. Maderi, quando dicit: *Christianus primus post beatum Adalbertum genti Prutenorum Episcopus consecratus est.*

(c) Causam bellis Prussicis Historici recentiores Conradum Masovia Ducem praeuisse referunt. Educaverat Conradum Christianus Palatinus Plocensis, eumque saepius enormium flagitiorum causa reprehenderat. Conradus verò harum reprehensionum tandem pertæsus, primò Christianum oculis privavit, tandem etiam è medio sustulit. Hoc facinus ulturi Prussi, arma in Conradum corripunt Masoviamque miserè vastant. Hæc Scriptores nostri, penes quos sit hujus rei fides. Aliam causam aequè probabilem vide apud D. Coelestinum Misleniam *in Prolegomen. ad Manuale Prutenicum.*

CAP. II.

De

Vastatione Terræ Polonicae.

ET quia idem Dux principiis non obstitit, nec contra violentos ipsorum ausus & conamina remedium adhibuit opportunum, ad ulteriora & deteriora procedentes invaserunt terram Poloniae cum magnâ potentiâ pugnatorum, tot vicibus & tanta damna intulerunt ei, quod combustis ædificiis homines ætatis adultæ percusserunt gladio & mulieres & parvulos in servitutem perduxerunt, & si fortè aliqua matrona gravida in par-